

LJUBLJANSKI

# ŠKOFIJSKI LIST.

## Laibacher Dioecesanblatt.

Št. VIII.

Vsebina: 40. Monitum ad Clerum de electionibus politicis.

1895.

40.

### Monitum ad Clerum de electionibus politicis.

Imminentibus jam electionibus pro comitiis provincialibus accidet certe, quod accidit alias, ut scilicet hic illeve de clero qua candidatus ad munus deputati constituatur.

Iamvero justus ordo et ratio disciplinae ecclesiasticae omnino postulat, ut, quicumque ad hujusmodi munus proponitur vel forte ipse aspirat, ante omnia episcopum de hoc certiorem reddat ejusque exquirat judicium. Episcopi enim est, judicare, utrum officia, quae alicui adimplenda jam incumbunt, etiam illam in munere deputati occupationem adbuc permittant, necne. Omnino etiam in electionum negotio vitandum, ne, sicubi vir laicus bonae notae et vere catholicus qua candidatus constituitur necessariisque gaudet qualitatibus, quis de clero qua candidatus adversarius illum oppugnet; multoque magis, ne sacerdos contra sacerdotem insurgat; maxime vero, ne (quod absit omnino) sacerdos forte eorum partes sequatur, qui tamquam filii inobedientiae auctoritatem spernunt ecclesiasticam et contra illos, quos Spiritus sanctus posuit episcopos, regere ecclesiam Dei, fortasse jam inde ab annis atrox gerunt bellum. Profecto

gravissimum esset pro fidelibus scandalum, si (quod Deus avertat) sacerdos quidam sive qua candidatus sive qua deputatus talibus adjungeretur hominibus.

Haec ergo hisque similia consideranda veniunt, quando de electionibus agitur.

Quae quum ita sint, serio praecipio in Domino, ut quicumque de clero ad munus deputati aspirat sive ipse sive proponitur ab aliis, antequam candidaturam pro tali munere suscipit, episcopum de hoc certiorem reddat quidque ille sentiat exquirat.

Qui vero hoc parvipenderit praeceptum, sciat, ipsum ante Deum reum fore contemptae illius, quam solemnissimo vitae suae momento promiserat, obedientiae et reverentiae erga episcopum suum.

Volo vero, ut haec etiam aliis in electionibus politicis, necnon in electionibus communalibus Labacensibus omnino observentur.

Ceterum quae electiones ipsas earumque pro rebus publicis et ecclesiasticis momentum attinent, recolantur ex litteris communibus, quas episcopi

Austriaci die 15. Febr. 1891. dederunt, quaeve exhibentur folio dioecesano anni 1891. II. 5 et 6. (Conf. etiam fol. dioec. 1885. 5.) Inde Rev. Domini facile videbunt, quomodo iis agendum et ad quid in electionibus prae omnibus attendendum iis sit, ut muneri suo tanquam boni et fideles Christi ministri fideliumque pastores satisfaciant. Quodsi gravissimum esset scandalum, si quis de clero, ut innui supra, vel qua candidatus vel qua deputatus viris se adjungeret episcoporum suorum contemtoribus, profecto scandalum etiam esset, si quis de clero talium virorum partes in electionibus faciens promoveret. Talis enim agendi modus quomodo non et ipse in detrimentum vergeret auctoritatis ecclesiasticae? Quomodo autem excusaretur ante Deum, si quis, politicis suis desideriis satisfacere volens, auctoritatem parvipenderet, a quatenus omnis vis et efficacia ecclesiae dependet, dum econtra omnis domus in seipsam divisa destruatur necesse sit?

Quamquam porro strenue adlaborandum, ut bonae fiant electiones, tamen nunquam non cum omni moderatione, dignitate et gravitate procedendum est, ita ut quivis facile videre possit, non esse animi excitationem, non passionem, non personalem contra quemdam aversionem, quae in electionum negotio nos ducat, sed Dei ecclesiaeque amorem intimamque de rei gravitate persuasionem.

**Quum autem omne bonum desursum sit, a Patre luminum, hinc Dominica ante virorum electorum electiones publicae in quavis eccl-**

sia parochiali instituendae sunt preces, quem in finem SS. Sacramentum per horam expendum fidelesque ad ejus frequentem adorationem excitandi erunt; id quod fiet edocendo illos, quantopere electiones in ecclesiae bonum influant quantumque conferre possint, ut vita publica denuo religionis catholicae praecepsis conformetur, sicque aeternam salutem nostram non solum non exponat periculo, sed imo quam maxime illam promoveat.

Qua occasione Reverendis Dominis etiam praeceptum in memoriam revoco, quo episcopi province ecclesiasticae Goritiensis litteris d. 26. Nov. a. 1887. datis (v. fol. dioec. a. 1887. IX. 72 et 73) certi generis folia veterunt. Profecto ex ipsis eorum verbis patet, non parvi momenti esse rem, de qua in illis litteris agitur. Consulant ergo conscientiae suae, qui hujusmodi foliis adhuc forte inhaerent, sive directe sive ex aliorum manibus ea sibi procurando, quin ulla justa causa vel necessitate excusentur; consulant conscientiae suae, qui forte non ipsi tantum talia folia leitant, sed sive consilio sive exemplo suo sive alio quocunque modo inter fideles etiam propagant; consulant conscientiae suae, qui in ejusmodi folia scribere cum iisque sive directe sive indirecte verbo vel scripto communicare non timent. Facile quidem est, fallere seipsum; facile etiam, fallere homines; impossibile autem, fallere Deum, cuius iudicio omnes aliquando sistemur.

Datum Labaci, die 9. Octobris 1895.

**† Jacobus,**  
Pr. Eppus.